



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

15. An quis teneatur de superfluo ad statum opitulari illi, qui in periculo versatur amittendi fortunas iniustè? Ex p. 5. tr. 8. res.16.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

status, vel presentis, vel futuri, quem ego licet possim acquirere; & ad illum ascendere. nec enim teneor ego meum statum & dignitatem amittere ut alius non amittat suum, & simili ratione non teneor ego ob similem necessitate futurum perdere statum, quem dignè poteram conquirere, quod expressè sentit Nau. & Caiet. 2. 2. & in sum. loc. cit. qui licet sentiat de superfluo quemlibet teneri ad eleemosynam, sed non existimat superfluum, quando quis habet superfluum statui presentis, illud tamen in futurum seruat, ut mutet statum digniorem, & ita vix aliquis tenetur, aut secundum opinionem Caietani, aut secundum nostram ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status. Hæc Valq. Vide etiam eundem infra num. 32. in fine, & Cordubam lib. 1. q. 36. cum Granada in 2. 2. contr. 3. tr. 11. sect. 1. num. 3. vbi adducit & approbat doctrinam Caiet. in sum. ver. eleemosyna largitio, sic asserens. Hoc esse iudicandum consideratis sumptibus honorabilibus, etiam filiorum familiaris status, munificentia, magnificentia, communibus euentibus, hæredibus & aliis huiusmodi; ita; ut rarè videatur contingere, ut homo secundum statum gloriose viuens, superfluum habeat. Hæc Caietanus. Vide etiam Malderum in 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4. vbi docet etiam vix vquam contingere, ut quis habeat superfluum status, cum possit quilibet cogitare de statu augèdo, imò status cum diuitiis crescat. Ita ille. Vide etiam Ludouicum de San-Iuan in sum. q. de eleemos. art. 3. dub. 4. append. 3. sic asserentem. [De aq. parece que no se ha de condenar al que detiene los dichos bienes superfluos para procurar para si, o por los suyos alguna honra, dignidad, o estado, que licitamente se pueden pretender con condicion, que no dexè de acudir à la necesidad extrema, o quasi extrema del proximo.] Quæ omnia satis pro diuitibus, eorumque Confessariis, ut reor, plausible erunt consulendum est tamen eis semper, ut largè eleemosynas præbeant. Non desinam hic adnotare supradictam sententiam non admittere Duualliu in 2. 2. D. Th. tr. de charitate, quest. 8. art. 4. nam ex illa duo grauissima incommoda sequerentur. Primum nullum vnquam hominem dici posse habere superfluum, omnes quippe sperare, & aspirare, ad superiorem statum possent; saltem nulla est ratio cur, vnus potius; quam alter ad eiusmodi statum aspireret. Secundum, cum qui nullam dignitatem sua superiorem speret, cum paucis supra necessitatem & decentiam presentis sui status habiturum superflua; cum verò, qui hanc dignitatem speret seu qui maiori ambitione duceretur habendo plurima super decentiam sui status, non habiturum superflua.

RESOL. XV.

An quis teneatur de superfluo ad statum opitulari illi, qui in periculo versatur amittendi fortunas iniuste?
Ex p. 5. tr. 8. Ref. 16.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Vasquez opuscul. de cap. 1. dub. 3. num. 26. vbi sic ait. Si alicui immineret necessitas, seu periculum cadendi à suo statu, ob amissionem rei corporalis, tenetur quis ex superfluo status illi subuenire, non tamen ex necessario statui, quia non teneor cum æqualis rei detrimento proximo subuenire. Ita ille.

2. Verum contrariam sententiam docet Hurtadus de Mendoza in 2. 2. disput. 159. sect. 4. §. 98. quia hæc necessitas non est absolutè necessitas. Ergo non teneor erogare eleemosynam in illa versanti, Probo antecedens, quia pono hominem illum habere alimen-

ta & vestes, quibus tam congruè alatur, ut non sit neque in communi necessitate, in qua mendici versantur, sed victum habent, & ornatum, non solum sufficientem, sed etiam honestum. Item ille homo non est infamis, sed potest honestè degere inter suos, neque cogitur mendicare, neque seruire, neque vilem artem exercere: ergo simpliciter non habet necessitatem non solum grauem, verum, neque communem. Ratio est, quia opulentiore fortune, munera & tituli perillustres non spectant ad depellendam miserriam, sed ad augendam dignitatem; sed nullus tenetur lege misericordie alicui procurare pompam istam seculari, neque cum in illa conseruare, quantumvis enim sit in periculo illam iniuste amittendi, tamen non propterea est in periculo cadendi in necessitatem aliquam. Quod differt ab homine cadente in infamiam, quæ magna miseria est absolute à Hurtadus. Non est igitur recedendum à prædicta sententia, nam alioquin sequeretur hominem Principem, aut suuitem mercatorem teneri ad erogandos mille, vel bis mille, aut ter mille aureos illis indigenti ad sequendam litem, licet non indigat ad honestum victum atque vestitum; hoc autem nullus admittet, quamuis illi ter mille aurei sint superflui. Igitur illa necessitas non est arcta, qualis esse solet in petendo victum peccato, in famulando, in exercenda vili arte, ideo nullus tenetur lege eleemosynæ, erogare sua bona.

RESOL. XVI.

Si plures diuites possint vni pauperi succurrere in extrema vel graui indigentia, quia omnes aequè illum norunt, quis eorum teneatur eleemosynam dare? Ex p. 5. tr. 8. Ref. 13.

§. 1. **I**ntelligitur quæstio de extrema, vel graui indigentia, & ad illa respondet Lorca in 2. 2. sect. 3. disputat. 39. memb. 3. num. 50. omnes illos teneri insolidum, & æquè, ita ut si nullus subueniat, omnes peccent & quilibet integre succurrere teneatur, si alij omittant. Possunt tamen inter se conuenire, ut occurrant per partes, & proportionè seruat ad numerum, & ad diuitias, & eadem ratione potest vnus satisfacere præbèdo partem, si certo speret alios ex parte etiam contribuere. Nec tenetur vnus præuenire donec alios consulat, sed si videat neminem eorum opitulari Villalobos in summa. tom. 1. trati. 22. diff. 10. n. 18. & Gaspar Hurtado diff. 10.

RESOL. XVII.

An diuites teneantur redimere captiuos apud Turcos?
Et quid est dicendum de aliis multis casibus passim occurrentibus, ut v. g. Aduocatus an debeat suo patrocinio gratis defendere pauperem, aut viduam indigentem eius opera?
Et quid de Medicis Chirurgis Pharmacopoli, & alijs? Ex p. 5. tr. 8. Ref. 6.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Fillucius tom. 2. tr. 28. cap. 3. num. 76. & Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 8. q. 5. vbi sic ait. Ex his perspicitur quid sit dicendum in multis casibus passim occurrentibus, v. g. an Aduocatus debeat suo patrocinio gratis defendere pauperem, aut viduam indigentem eius opera: an Medicus, aut Chyrurgus gratis mederi cogatur ei, qui nihil habet, quod soluat? an Pharmacopola obligetur ad medicinam gratis porrigendam pauperi & egeno? An